





Josephit, und andere Carmina Vol. II.

A. N. 75. Quart.

4.  
Ca  
8.9  
9.8  
10.6  
Ca  
14.  
15.  
16.  
Ca  
20.  
21.  
2.





21 19

GENETHLIACA

In

Honorem Nuptiarum

*Spectati & circumspecti*

VIRI

DN. JOANNIS

AUGSTEN,

ET

*Benè nata ac educata Virginis*

R E G I N Æ,

*VIRI Honestissimi &*

*integerrimi*

DN. JOHANNIS AUGSTEN,

Civis apud Thorunienses Primarii

Dilectæ FILIÆ

Sub prima

ANNI

M. DC. XXI,

*Incunabula celebrandarum*

*Scripta*

ATHENIS MARCHICIS

ab

AMICORUM BIGA.

---

Literis Hartmannianis,





## ANACREON.



Uando pericla vitæ  
Subit laboriosæ,  
Laboriosa quando  
Subit pericla vitæ  
Mercator in viarum,  
Se tractibus fatigans  
Sævasq̃ue per ferarum,

Formas&ora migrans,  
Quam liberè triumphat,  
Cum tanta post pericla,  
Tantosq̃ue post labores  
Molestiasq̃ue tantas  
Minus periculosa,  
Minus laboriosa,  
Minus calamitosa,  
Videt subitq̃ue Regna.

Sic quando per diei  
Totius atque noctis  
Prolixiora puncta,  
In imbre densiore,  
Æstive siccione

Ven-





Ventoque saviore  
Geluque duriore  
Iter suam peregit  
Ah! quos sua revolvit  
In mente gaudiorum  
Plausus recentiorum  
Quando suos vicissim  
Fato benigniore  
Gressuque faustiore  
Lares & arva visit.

Sic fulva cum Talenta  
Talenta speciosa  
Talenta preciosa  
Ex mercium valore  
Collegit in labore  
Ah! quos sua revolvit  
In mente gaudiorum  
Plausus recentiorum.

Sed vincit hosce plausus  
Hymen suo nitore  
Nitore conjugali  
Nitore Nuptiali.

Nam



Nam sicut inter omnes  
Cœli Selena stellas  
Flagrantiore splendet  
Lucis serenitate ;  
Sic conjugalis ardor  
Plausus in orbe cunctos  
Sinceriore vincit  
Amoris unitate.

Hoc Tu NOVELLE SPONSE  
O SPONSE, Bellè SPONSE  
Nunc experiris ipse,  
Dum pronubo JHOVAHE  
Consentiente Patre  
Consentiente Matre  
REGINA castitatis  
REGINA svavitatis  
REGINA charitatis  
TIBI datur supernè.

Hoc Tu NOVELLA SPONSA  
O SPONSA bella SPONSA  
Nunc experiris ipsa,  
Dum sic DEO jubente  
Parente sic volente.

Juveni





Juveni satis decore  
Juveni satis venusto  
Juveni satis pudico  
Pietate candicanti  
Virtute splendentanti  
Diviniore nexu  
& Firmiore nexu  
Conjuncta glutinatis.

O gaudium solemne!

O vinculum perenne!

Quod nec sereniore

Sortis potest nitore

Perire vel rescindi

O gaudium solemne!

O vinculum perenne!

Quod nec ferociore

Sortis potest fragore

Perire vel rescindi.

O ter quaterque faustum,

Te SPONSE, belle SPONSE

Quem fata svaviore

Grato volunt favore

Connubio fruisçi

sic

A ;

O ter





O ter quaterque faustam,  
TE SPONSA bella SPONSA  
Quam fata svaviore  
Grato volunt favore  
Connubio fruisi.

Est, quod DEO feratis  
Vos o gemella corda,  
Hac pro benignitate  
Ex ore, corde grates.

Est porro quod sacratis  
Precibus Deum vocetis  
Perennitate pacis  
Ut vos diu gubernet,  
Longævitæ vitæ  
Ut vos diu coronet,  
Fœcunditate sexûs  
Ut sæpè vos serenet,  
Positis ut videre  
Natosque Filiasque  
Neptes Nepotulosque  
Ft Filios Nepotum,  
Et Filias Nepotum.

sic





Sic mitiore Fato  
Et turturum beato  
Amore vivitote  
Vos ô gemella corda:  
Ex intimo quod optat  
Suspirio TIMÆUS  
Qui vos valere longum  
Jubet. VALETE LONGUM.

*Fausta adclamationis E.  
faciebat*

BALTHASAR TIMÆUS,  
*Phil. & Med. Studios.*

---

**S***ic tandem Idaliis vinceris arcibus  
SAUGSTENI generis gloria proprii:  
Tandem vulnus habes: jamque novas faces  
Victo pectore concipis.  
Non quales aluit Tyndaridis furens  
Cæcis Priamides ignibus, ut grave  
Adduxit patriis exitium jugis  
Fatalesque acres Phrygum  
Sed quales superum REX Pius & potens  
Eois Homini inseruit in Hortulis,  
Primo costigenam jungeret ut VIRO  
EVAM & jura Thorodaret.  
Hinc*





Hinc orta, Pucro quas **VENERIS** dicat  
Vatum Musa, faces: Hinc pariliduo  
Flammâ corde calent, quam, nisi, solvere,

**FATI**, nulla potest dies.

Hinc est **AUGSTENIO** quod genitam Patre,  
**REGINAM AUGSTEN** amat, quodq; reciprocas  
Flammâ illa fovet pectore & optimum,

Hunc sacro Thalamo expetit.

O Faustum Thalamum! quem superum Pater  
Ipsus sanxit & almi suboles **DEI**  
Firmare in Cananea voluit plaga.

Vini munere prabito.

Non hunc atra dies, non furor horridus  
Nigræ Thesiphones reddere lividum,  
Fœcundum ve minus jam poterit Diis

Sic sanctè statuentibus.

Henrici Strobandi, Borufs, Candidus  
fundeat amor,













21 19

GENETHLIACA  
 In  
 Honorem Nuptiarum  
*Spectati & circumpecti*  
 VIRI  
 DN. JOANNIS  
 AUGSTEN.  
 ET  
*Benè nata ac educata Virginis*  
 REGINÆ,  
*VIRI Honestissimi &*  
*integerrimi*

